AUTHOR:

RUMMLER, LUDOVICUS

TITLE:

DE ARISTIDIS PHILOSOPHI

PLACE:

POSEN

DATE:

1881

Master Negative #

93-81401-16

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ar39 Rummler, Ludwig.
DZ
Q De Aristidis philosophi Atheniensis sermonibus duobus apologeticis.
Posen 1881. Sq.Q. 17p.

Rawitsch (Ger.) realschule. Jahresbericht. No. 5

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/12/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

De Aristidis philosophi Atheniensis

sermonibus duobus apologeticis

disputavit

Ludovicus Rummler

Wissenschaftliche Beilage zum achtundzwanzigsten Jahresbericht

der

Königlichen Realschule I. Ordnung

zu

Rawitsch.

1881. Progr. Nr. 112.

Posen.
Merzbach'sche Buchdruckerei
1881.

Venetiis ad balneas in area litoris cumba vehentibus ad dextram est insula amoenissima Sancti Lazari, quam Venetorum dux Mocenigo senatu rei publicae approbante anno 1717 clarissimo monacho armeniaco Mechitari atque sociis eius, tunc a Turcis ex Peloponneso exactis, colendam atque coaedificandam tradidit.[1] Qui vastam et ab incolis paene relictam insulam brevissimo temporis spatio laudabili divitum Armeniorum ope adiuti non solum amplissimis ornaverunt aedificiis, sed etiam effecerunt, ut coenobium suum toti Armeniorum genti quasi lux fieret veritatis atque litterarum divinarum humanarumque fons purissimus. Illuc cum pergrato feriarum autumnalium otio priore anno pervenissem atque a monachis, qui pariter doctrina ac comitate insignes sunt, benignissime essem exceptus: cum munditiam simplicemque pulchritudinem et coenobii et hortorum, tum rationem vitae et studiorum patrum mechitaristarum mirabundus collustravi atque conspexi. Unum autem omnium maxime memorabile mihi videbatur studium monachorum, quo non solum permagnam librorum copiam et ipsi composuerunt et in suam linguam transtulerunt, sed etiam Graecorum scriptorum contextus armeniacos, qui originales desiderantur, cum versione latina publicaverunt. Quorum in numero praeter Eusebium et Philonem Aristidem quoque esse, philosophum illum, qui imperatori Hadriano Athenis apologiam doctrinae christianae tradidisse dicitur, audiveram quidem, sed in oppidum nostrum hic libellus nondum pervenerat; quo maiore igitur gaudio affectus sum, cum illic inter libros a mechitaristis nuper editos etiam Aristidis fragmenta invenirem hoc titulo ornata: „Sancti Aristidis philosophi Atheniensis sermones duos, quorum originales textus desiderantur, ex antiqua armeniaca versione nunc primum in linguam latinam translatos excellentissimo domino Felici Dupanloup, Aureliae Gallorum episcopo d. d. d. patres mechitaristae, Venetiis 1878.“ Redux vero in patriam horarum subsicivarum otium in fragmentorum illorum studium conferre eaque cum reliquorum secundi saeculi apologetarum scriptis comparare coeperam, cum indici lectionum scholae nostrae dissertatione quadam vicario munere praeludere iussus sum. Qua provincia libenter capta accuratius etiam atque diligentius in sermones illos inquirere optimum mihi visum est, praesertim cum hic locus, quamquam non prorsus intactus, tamen non adeo in omnes partes est pervestigatus, ut disserenti mihi de eo acta agenda atque satis pervulgata ad taedium decantanda sint. Ceterum scriptiunculam meam, quam, cum theologiam non profitear, magis excusatam quam commendatam volo, ea propono modestia, quae eum decet, qui primoribus demum labris disciplinam quandam gustaverit; quare si paullum tantum benevolis iudicibus probabitur, operae pretium fecisse videbor.

[1]) Cfr. das Kloster der armenischen Mönche auf der Insel St. Lazaro. Venedig 1872, p. 1—14.

Sed quaerenti mihi, unde optime disputationem exordirer, nihil occurrit melius, quam si, qualis ratio inter ethnicam Romanorum et christianam religionem intercederet, brevissime exponerem, cum inde esset intellegendum, quare Romani, qui reliquis omnibus religionibus summam praeberent indulgentiam, christianos solos ardentissimo odio vexarent atque persequerentur. Ac primum doctorem clarissimum veteris ecclesiae Augustinum laudare iuvat, cui prorsus assentimur in libro de civitate dei [1]) dicenti, religionis Romanorum veram et genuinam naturam talem fuisse, ut ad eorum philosophorum doctrinas accederet, qui vim divinam quandam esse, neque vero creatricem mundi et omnium rerum visarum et invisarum, sed animam tantum mundi per totum mundum confusam contenderent, quoniam innumerabilia deorum nomina, quae in indigitamentis [2]) inveniuntur, initio nihil praeterquam partes vel virtutes unius vis divinae vel animae mundi significabant. Tales quidem de deorum natura opiniones Varrone teste [3]) Romani usque ad Tarquiniorum tempora aliquo modo integras servaverunt, cum usque ad illam aetatem deos sine simulacro colerent fabularumque multitudine, quae deis res nefarias ac scelestas obtruderent, prorsus carerent et fortasse etiam deos humana specie indutos non haberent. [4]) Sed inde ab illo tempore Graecorum religio magis in dies Romanam immutare coepit, et inde demum factum esse videtur, ut Romani deos humana specie instructos colerent, fabulas Graecorum acciperent Italicisque diis adaptarent. [5]) Aetate vero secundi belli Punici libri edebantur, quorum auctores fabulas vulgo creditas reiciendias et eam rationem esse sequendam contenderent, quae illis de diis fabulis subesset; cuius generis non solum suppositicii [6]) libri Numae fuisse videntur, sed etiam Epicharmus Ennii, quem in annalibus quoque saepius physicam, quam vocant, mythorum interpretationem adhibuisse notum est. [7]) Qua doctrina genuinam naturam religionis Romanae aperiente deosque vulgo creditos physice vel symbolice interpretante plerique viri docti posterioris aetatis contenti sunt [8]), praesertim cum stoici, quorum philosophia maxime Romanis probabatur, et de anima mundi et de deorum natura haud dissimilia docerent. Sed fieri non potuit, ut indoctos atque in litteris minus versatos fugeret, quantopere primores civitatis doctissimique homines a vero sinceroque deorum patriorum cultu recederent, auspiciorum veritatem spernerent speciemque tantum retinerent; itaque non offendimur, quod vulgus quoque aut deorum pietatem omnino exuere atque voluptatibus cuiusvis generis [9]) libidinibusque maxime indulgere coepit, aut in vitae variis casibus et periculis ab externorum, inprimis orientalium deorum veneratione atque etiam ex foedissima superstitione nugisque magicis solacium repetere studebat. Cum Romanorum igitur animi in varias distraherentur sententias atque inter simulatam deorum patriorum pietatem et apertam impietatem quasi fluctuarent, christianorum societas a parvo profecta initio latius in dies patebat ac grassabatur, ut Romani eam non Iudaeorum

[1]) Cfr. Augustin. de civit. dei IV, 11: „hi omnes dii deaeque sunt unus Juppiter: sive sunt, ut quidam volunt, omnia ista partes eius, sive virtutes eius, sicut eis videtur, quibus eum placet esse mundi animum.“ [2]) Cfr. Ambrosch Religionsb. der Römer p. 21; Preller, Röm. Mythol. 1. Aufl. p. 44. [3]) Varro apud Augustinum de civit. dei IV, 31. [4]) Cfr. Schoemanni opusc. acad. I, p. 353. [5]) Cfr. Schwegler Röm. Gesch. 1. Aufl. I, 2 l. 18 § 16; Preller, Röm. Mythol. 1. Aufl. p. 20. [6]) Cfr. Schwegler Röm. Gesch. I, 2 p. 567 not. 7. [7]) Cfr. Krahner, Grundlinien des Verfalls der römischen Staatsreligion, p. 41–42. [8]) Praeter ceteros Varro, Scaevola, Cicero, Plinius m. nominandi sunt. Cfr Schoemanni opusc. acad. I, 377; Augustinum de civitate dei IV, 27; Schoemanni praef. ad libr. de nat. deorum p. 11. 15. [9]) Cfr. Schmidt Geschichte der Denk- und Glaubensfreiheit p. 260; Becker, Röm. Antiquit. IV, p. 81 84.

esse familiam, sed sodalitatem a barbaris, Graecis Romanisque non minus quam a Iudaeis doctrinae vitaeque ratione discretam et separatam, paullatim cognoscerent. Sed haec societas quoniam non ea erat natura, ut praeter philosophorum scholas atque deorum vulgo creditorum veneratores se quoque tolerari vellet, sed persuasum haberet, se solam uti veritate, quippe quae esset revelata a Christo, dei filio, fieri non potuit, quin omnes omnium ordinum homines christianis, qui totam populorum rationem et conditionem prorsus immutarent, maxima ira maximoque studio se opponerent. [1]) Namque quicunque non hebetis erant ingenii, ad unum omnes intellegebant, inter christianos et ceteros homines de illis rebus non indutias, non pacem esse posse, donec aut christiani aut adversarii victi superatique manus dedissent. Philosophi quidem, quamquam fabulas de diis patriis ut nugas vilissimas aspernabantur, tamen non solum doctrinam de deo mundi creatore reprobabant, verum etiam veritatem non a philosophorum ratione, sed ab auctoritate Iudaei crucifixi profectam atque ad intellegentiam non doctorum hominum tantum, sed etiam opificum et servorum aptissimam summo taedio dedignabantur accipere. [2]) Fuerunt praeterea, quos haut fugeret, christianorum religione rempublicam Romanam in ethnica religione ita positam, ut cum ea et ipsa concidere deberet [3]), paullatim adeo labefieri, ut illud, quod Vergilius (Aen. I, 278) cecinerat:

„His (scl. Romanis) ego nec metas rerum nec tempora pono,
Imperium sine fine dedi“ —

nullo modo sperari posset. Ad quos ingens copia accessit cum sacerdotum, histrionum, opificum, quorum commodis atque lucro christiani obstabant, tum superstitiosorum hominum, qui illos, quod nullis utebantur sacrificiis, foedissimos atheos habuerunt atque criminibus turpiter fictis persecuti sunt. [4]) Usque ad Traiani quidem tempora christiani, quamquam non inlacessiti, tamen plerumque non vexati sub umbraculo, ut Tertullianus ait [5]) religionis Iudaeorum pace quieteque fruebantur, [6]) quare christianorum numerus ita est auctus, ut oracula neglecta et templa deorum cultoribus vacua saris ostenderent, quantum periculi reipublicae Romanorum ethnicae iamiamque immineret. Quod et alibi et in Bithynia [7]) factum est, cui provinciae Plinius minor praeerat. Itaque anno 111 clarissimas illas litteras ad Traianum scripsit, quibus, quid de christianis faciendum esset, interrogavit. Quo facto Traianus omnium imperatorum primus edictum publicavit, quo christiani non, ut antea, de fictis criminibus, sed de religione ipsa in ius vocari et condemnari iussit, ita ut ab eo demum tempore nomen christianorum non solum dedecori et periculo, verum etiam crimini capitali esset. [8]) In eodem vero de christianis consilio Hadrianum perseverasse [9]), studiosissimum religionis ethnicae defensorem, mirum videri nequit, quamquam et hic pariter ac Traianus propter voces tantum efferatae plebis in novae fidei sectatores animadverti vetuit. [10]) Cum tali igitur modo Christianorum condicio mutaretur, nonnullis ex iis optimum visum est, non tam patienter et tacite

[1]) Cfr. Tzschirner der Fall des Heidenthums p. 225; Semisch Justin der Märtyrer I. p. 33. [2]) Semisch Justin d. M. I, 32. [3]) Cfr. Tzschirner der Fall des Heidenthums p. 231; Semisch J. d. M. I, 34. [4]) Cfr. Tzschirner Fall d. Heidenth. p. 227; Semisch Justin d. M. I, p. 37. [5]) Tertullianus apol. c. 21. [6]) Quae de Neronis et Domitiani persecutionibus habenda sint, exponit Tzschirner Fall d. H. p. 298. [7]) Cfr. Plinii ep. 96. [8]) Cfr. Pressensé Geschichte der drei ersten Jahrhunderte, übers. von Fabarius II, p. 213. [9]) Tzschirner Fall d. H. p. 300; Pressensé Gesch. etc. II, p. 211. [10]) Cfr. Justini M. apol. I, 69; Eusebii hist. eccl. IV, 9.

persecutionis mala perferre, quam magistratuum atque imperatorum ipsorum animos sibi recon-
ciliare atque suum sodalicium pro virili parte voce et litteris defendere. Quorum ordinem ducunt,
si Aristonem et Apellem iure omittimus,[1]) Eusebio teste Quadratus et Aristides, quorum alter
falso ecclesiae Atheniensis episcopus iam ab Hieronymo habebatur,[2]) alter philosophus, qui etiam
christianus philosophicam vestem retinuit. Quadratus igitur fuit Magnesius, qui intra annos 122—124
apologiam Hadriano tradidit,[3]) qua, si Hieronymo (ep. 84 ad Magnum; et de script. eccl. c. 19)
fidem habemus, ad persecutionem Christianorum leniendam permultum contulit. De Aristide autem,
quae indagare potui haec sunt. Eusebius in hist. eccl. IV, 3. 3 ita de eo disputat: *Καὶ Ἀριστείδης
δὲ πιστὸς ἀνὴρ τῆς καθ' ἡμᾶς ὁρμώμενος εὐσεβείας τῷ Κοδράτῳ παραπλησίως ὑπὲρ τῆς πίστεως
ἀπολογίαν ἐπιφωνήσας Ἀδριανῷ καταλέλοιπε. σώζεται δέ γε εἰς δεῦρο παρὰ πλείστοις καὶ ἡ τούτου
γραφή.*[4]) Apud eundum Eusebium in chronica haec legimus: *Κοδρᾶτος ὁ ἱερὸς τῶν ἀποστόλων
ἀκουστὴς Αἰλίῳ Ἀδριανῷ τῷ αὐτοκράτορι λόγους ἀπολογίας ὑπὲρ Χριστιανῶν ἐπέδωκεν . . . ἅπερ
δεξάμενος ὁ Καῖσαρ σὺν τοῖς παρὰ Σερενίου λαμπροτάτου ἡγουμένου. ὡς ἄδικον εἴη κτείνειν
γράψαντος Χριστιανοὺς ἀκρίτως ἐπὶ τῶν ἐγκλημάτων μηδενὶ γράφει Μινουκίῳ Φουνδανῷ ἀνθυπάτῳ
τῆς Ἀσίας Ἀδριανὸς μηδένα κτείνειν ἄνευ ἐγκλημάτων καὶ κατηγορίας.* Quae eadem exhibet contextus
latinus versionis armeniacae et addit etiam post verba: „Codratus apostolorum auditor" — „et Ari-
stides"; cetera, quae discrepant, levioris sunt momenti.[5]) Similiter Hieronymus in libro de scriptoribus
ecclesiasticis de scriptore nostro praedicat et addit quaedam alia his verbis: „Aristides Atheniensis
philosophus eloquentissimus et sub primo habitu discipulus Christi volumen nostri dogmatis rationem
continens eodem tempore quo et Quadratus Hadriano principi dedit, id est apologeticum pro chri-
stianis: quod usque hodie perseverans apud philologos ingenii eius indicium est.[6]) Idem in epistola
ad Magnum 70 (83 in edit. Benedict.) haec dicit: „Aristides philosophus vir eloquentissimus, eidem
principi apologeticum pro christianis dedit, contextum philosophorum sententiis" — tum pergit:
„quem (Aristidem) imitatus postea Iustinus et ipse contra gentiles tradidit defendens ignominiam
crucis et resurrectionem Christi tota praedicans libertate." Orosius[7]) quoque nostrum commemorat
his verbis: „Hic (Hadrianus) per Quadratum discipulum apostolorum et Aristidem Atheniensem,
virum fide sapientiaque plenum et per Serenum Granium legatum, libris de christiana religione

[1]) Aristonis libellus *διάλεξις Παπίσκου καὶ Ἰάσονος* pertinebat ad Iudaeos; de Apelle autem res omnino dubia esse videtur Cfr. Tzschirner Fall d. Heidenthums p. 203 et Tzschirner Gesch. der Apol. p. 226. [2]) Cfr. Theologisches Universallexicon Elberfeld 1874 s. v. Quadratus. Eusebius, qui fragmentum brevissimum servavit, in quo operum Christi mentio fit, quo loco et quo tempore Quadratus libellum tradiderit, non dicit. [3]) „Der Jahresansatz schwankt je nach den Quellen 2140 Abr. = 124 n. Chr. und den zwei nächsten Jahren (cfr. Schoene II. p. 166): im Verzeichniss der kirchlichen Schriftsteller lässt Hieronymus beide ihr Buch dem Hadrian überreichen, als der Kaiser einen Winter zu Athen verbrachte und die eleusinischen Weihen nahm, für welches Ereigniss sehr verschiedene Jahre des Decenniums von 122 n. Chr. ab in Anspruch genommen sind (cfr. Hertzberg Griechenland unter den Römern II, 302); Buecheler in Museo Rhenano 1880 p. 279. [4]) Cfr. Eusebii hist. eccl. IV, 3. 3 ed. Dindorf 1871. [5]) Cfr. Eusebii chronic. libr. II ed. Schoene 1836 ad a. 2140. Locum Syncelli ab editore allatum omitto, quia iisdem verbis utitur atque Eusebius. Monere tantum iuvat, apud eum nomen Aristidis non excidisse. [6]) Cfr Hieronymum de script. eccl. c. 20; doleo quod antiquissimam tantum editionem Mariani Victorii Reatini 1616 nancisci potui. [7]) Cfr. Orosii adv. pag. hist VII, 3. Idem in cap. 13 dicit, Aristidem apologiam Hadriano anno 123 aut sequenti tradidisse.

compositis, instructus atque eruditus, praecepit per epistolam ad Minucium Fundanum proconsulem Asiae datam, ut nemini liceret christianos sine obiectu criminis aut probatione damnare." Tum apologiae Aristidis mentionem fecerunt saeculo nono post Christum Usuardus et Ado martyrologiorum scriptores[1]) qui Aristidem non modo scriptis, sed etiam oratione mira animi fortitudine ad Hadrianum habita religionem christianorum et Christi divinitatem defendisse testati sunt. Ab Adone additum est, hoc opus apud Atheniensis plurimi duci et inter antiquorum monumenta clarissimum haberi.[2]) Quos locos si examinamus iam primum satis apparere arbitror, gravissimum id esse, quod Eusebius de Aristide retulit, quamquam inde fere nihil aliud consequitur, quam Hadriani aequalem fuisse et huic imperatori christianorum apologiam tradidisse. De reliquis vero testimoniis Buechelero[3]) prorsus assentiendum est, cui Hieronymus, cum librum „contextum philosophorum sententiis" dicat, haec verba non Eusebii narrationem exornans atque temere, sed consulto et re bene perspecta adiunxisse visus est. Iustinum quidem Aristidem imitatum esse Buechelerus non negat, sed imitationem eiusmodi tantum fuisse putat, ut uterque armis philosophorum christianorum doctrinam ab eius adversariis, imperatoribus maxime et magistratibus defenderet. Nullam enim similitudinem intercedere inter Aristidis tractatum et Iustini libros, nisi quae ad omnes huius generis disputationes esset accommodata. Quae quidem in amborum verbis magis concinerent, velut de deo sacrificiis non egente[4]) nomenque non habente ad communem omnium apologorum disserendi rationem referenda esse. Levissimi denique momenti sunt, quae ab Usuardo et Adone de Aristide discimus, cum scriptorum medii aevi plerumque is esset usus, ut, quae ex secunda vel tertia manu acciperent, quasi ipsi legissent atque ex libro originali citassent, in suis scriptis exponerent, quare ne exstitisse quidem illis temporibus apologiam intellegendum est.[5]) Qua in testimoniorum de Aristide paucitate amplissima quidem coniciendi facultate oblata praeter ea, quae iam exposita sunt, id tenemus, eum, cum ex philosophorum argutiis subtilibusque disputationibus animi pacem sibi non paravisset, ad christianorum perfugisse religionem non aliter atque ante eum Clementem Romanum et postea Iustinum, Athenagoram, Tatianum, Augustinum. Quae cum ita sint, doctorum virorum studium maxime excitatum est, cum anno 1878 mechitaristae duo apologiae philosophi illius Atheniensis fragmenta armeniaca versione quinti saeculi servata[6]) publicarent atque versione latina exornarent. Quae fragmenta quin pro genuinis veteris Aristidis habenda sint, editor quidem non dubitat. „Felici, inquit, eventu vel potius divinae providentiae consilio, quae integram nationem armeniacam ante omnes alias in sinum christianitatis recepit, factum est, ut in reliquiis litteraturae eiusdem

[1]) Cfr. Acta Sanctorum Venet. 1753 VI de Aristide etc. Scripsit hunc tractatum Ioh. Pinnis: et Usuardi Martyrologii pars II a mense Iunio in Martyrologia Hieronymiana contracta ex manuss. codd. rec. Ioh. Bapt. Sollerius Antwerp. 1717 ad d. 31. Aug. et d. 3. Oct. [2]) Provoco de hac re ad praefationem mechitaristae p. 2. Ceterum quod de la Guilletière in libro „Athènes anciennes et nouvelles" Paris 1676 de Aristidis apologia usque ad illam aetatem servata dixit in coenobio Madelli haud procul Athenis, nullius momenti esse, iam satis constat. [3]) Cfr. Buechelerum in Mus Rhen. 1880 p. 282. [4]) Cfr. Iustini Ap. II, 6; Aristidis philosoph. serm. p. 7; „ipse sine nomine" cet. [5]) Mechitarista aliter sentit, sed iam Himpelius (Theolog Quartalschrift Tübingen 1869 II. Q. p. 29) dubitavit, num Usuardus et Ado apologiam Aristidis in manibus habuissent. [6]) Ea, ut mechitaristae videtur, quinto aureo saeculo in linguam armeniacam conversa est, deinde in codice saeculi X servata; cfr. praef. mechit. Aristid. serm. p. III.

nationis inter alia opera, quorum frustra originales textus requiruntur, etiam notabilis pars apologiae Aristidis ad nos usque pervenerit."[1]) In eadem sententia est is, cui haec fragmentorum editio est dedicata, notissimus ille episcopus Aurelieusis Dupanloup, qui in epistola ad abbatem mechitaristarum missa atque in fine libelli expressa et veras Aristidis reliquias esse et apologeticis studiis gravissimas haud dubitanter pronuntiavit.[2]) Sed cum hoc mechitaristae et episcopi Aurelieusis iudicium nemo prorsus probaret, nemo prorsus reprobaret, adhuc sub iudice lis esse videtur, quam haud scio an viri docti ita diremturi sint, ut prius fragmentum Aristideum quidem, sed identidem transscriptum et immutatum habendum, alterum autem ab Aristide abiudicandum sit. Prioris quidem inscriptio est: „Imperatori Caesari Hadriano Aristides philosophus Atheniensis," tum in initio Hadriano regis nomine appellato scriptor exponit, se coelis, terra ac mari, sole, luna et stellis ceterisque omnibus creaturis conspectis mundi constitutionem admiratum intellexisse deum esse creatorem et rectorem, fortiorem omnibus, quae ab eo moverentur et regerentur. Ut is penitus cognosceretur et certa ratione describeretur, cum inexplicabilis et ineffabilis esset, nec fieri posse, nec ullius esse pretii. Hoc unum scire necesse esse, deum omnia bonitate creavisse, atque ideo maxime esse hominum, deum adorare hominesque diligere. Ceterum haec saltem de deo cognosci posse, eum ab alio factum non esse, neque semet ipsum fecisse atque a nullo circumscriptum omnia comprehendere, principio et fine carere, sine nomine esse, quod quicunque nomine appellaretur, creatus esset factusque ab alio; eius naturae nullam inesse maris et feminae distinctionem; sacrificiis oblationibusque non egere, neque ulla in re creaturis ei opus esse. Tum ad hominum genera transiens quattuor gentes esse docet, barbarorum, Graecorum, Hebraeorum atque christianorum. Ethnicos et barbaros originem duxisse a Belo, Krono, Rhea aliisque diis pluribus[3]), christianos, a Christo. Eum esse filium summi dei una cum Spiritu Sancto hominibus revelatum, ex progenie Hebraica secundum carnem ex Maria virgine Deipara natam; ab Hebraeis esse crucifixum, a mortuis resurrexisse et ad coelos ascendisse. In mundum universum misisse discipulos, qui divino atque mirabili lumine suo, comitantibus prodigiis, omnes gentes sapientiam docerent. Quarum praedicationem usque ad hunc diem germinare atque fructificare orbem universum ad lucem vocantem.[4]) Altero autem fragmento contra eos disputatur, qui Iesum Christum non deum, sed crucifixum „hominem inanem divisum et corruptibilem" existimant. Quibus proponitur latronis exemplum ad latus Christi crucifixi qui quamvis manibus in tergum conversis et ligatis pedibusque similiter esset cruci affixis, libera tamen linguae motione exclamavit: „Iesu domine, memento mei, quum veneris in regnum tuum!" Cui respondit Iesus: „Amen! dico tibi, hodie mecum eris in paradiso." Ratio vero dicendi in utroque fragmento secundum eorum sententiam, qui armeniacae linguae periti sunt, elegans est et subtilis, ut omnia dialecticum eruditumque hominem sapiant,[5]) cuius naturae etiam latina con-

[1]) Cfr. Aristidis serm. praef. l. c. [2]) „Laissez-moi d'abord Vous féliciter de la précieuse découverte, que vous avez faite. Ces vieux textes ont de nos jours, pour l'apologétique, une très-grande importance, car ce sont des témoins de la tradition irrécusable. Lettre de l'évêque d'Orleans 14 Juillet 1878. [3]) Pa deorum nomina legenda esse Gildemeisterus et Himpelius (Rhen. Mus. 1880, p. 280; Theolog. Quartalschrift Tübingen 1879, II, 289.) consentiente Buechelero ostenderunt. Editor mechitarista scripsit: „Ethnici et barbari genus suum ducunt a Belo, Chrono et Hiera." — [4]) Cfr. Aristid. serm. p. 6-13. [5]) Cfr. Himpelium in Act. theol. Tubing. I, 1879 p. 291:

versio non caret[1]) vestigiis. Quod maxime apparet ex disputatione de deo atque de ratione, quae intercedit inter deum et mundum, ubi haud abhorrens ab apologetis secundi saeculi, a Iustino inprimis, quae christianorum sit doctrina, et contra philosophos et adversus deorum vulgo creditorum veneratores, luculenter atque acute explicavit. Nam cum apostoli suam doctrinam veram esse non argumentis ex ratione repetitis atque philosophorum more comprobarent, sed plerumque ad miracula a Christo perfecta, tum ad mortem eius et resurrectionem, denique ad vaticinia prophetarum veteris testamenti per Christum expleta provocarent,[2]) apologetae secundi saeculi aut christianos eorumque religionem ab iniustis fictisque criminibus defendere aut ethnicorum Iudaeorumque religionem et philosophorum inventa et argutias quam maxime impugnare, christianorum vero doctrinam unice veram esse ostendere conabantur.[3]) Hunc autem disputandi modum in perbrevi tractatu, qualis est prior Aristidis, non in omnes partes expressas esse, non est quod miremur: satis esse puto, si in eo de summis rebus eadem fere via agi intellegimus, quam apud Iustinum aliosque huius saeculi apologetas. Ac primum quidem haud levis momenti esse videtur, quod Aristides prorsus supersedet demonstrare, vim quandam divinam esse; quod non solum Iudaei, sed etiam plerique ethnici ab hac fide adeo non erant alieni, ut christiani propter id ipsum maxime odio essent, quod ἄθεοι esse videbantur.[4]) Aristides igitur in eadem sententia est atque Iustinus, qui divini numinis notionem omnibus hominibus natura insitum iisque quasi heredium datum esse existimavit, quod iis nullo modo et nunquam eripi posset. *Τὸ θεὸς προσαγόρευμα*, inquit, *οὐκ ὄνομά ἐστι, ἀλλὰ πράγματος δυσεξηγήτου ἔμφυτος τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων δόξα.*[5]) Sed cum ab hac quaestione primis apologetis recedere liceret, tamen distincte et copiose exponi necesse erat, qualis illa vis divina esset, et quae ratio inter deum et mundum intercederet. Itaque Aristides pluribus verbis et fidei diis vulgo creditis tributae et philosophorum doctrinis se opponit, qui non

„Alle diese Aussagen von Gottes Wesenheit, wie sie noch weiter geführt und ziemlich erschöpfend behandelt werden, sind immer kurz und geistvoll motivirt und entwickelt und verrathen den geschulten Denker." [1]) Cfr. Buechelerum in Mus. Rhen. 1880 II. p. 280: „— und entwickelt dann in längerer Ausführung, die auch im Lateinischen, wo sie mindestens dreimal umgeschrieben vorliegt, den Charakter schwungvollen und pathetischen Stils nicht ganz abgestreift hat, mit dialektischer Rhetorik den christlichen Gottesbegriff. [2]) Cfr. Tzschirner Geschichte der Apologetik p. 50 seqq. [3]) Cfr. Tzschirner Gesch. d. Ap. p. 93. Ceterum cadit in omnes huius saeculi apologetas, quod Semischius in libro de Iustino Martyre II, 57 de Iustino dicit. „Es war aber Iustin als Apologeten die doppelte Aufgabe gestellt, theils der Kirche Anerkennung von Seiten gegnerischer Gewalthaber zu erringen, theils Zuwachs durch die Bekehrung fremder Religionsbekenner zu verschaffen. Beide Zwecke verfolgt derselbe gleich den übrigen Apologeten, so dass er die dem christlichen Glauben und Leben gemachten Vorwürfe entkräftet, die Unzulänglichkeit des Heiden- und Judenthums an's Licht stellt und dagegen die relative, wie absolute Vortrefflichkeit und Göttlichkeit des Christenthums entwickelt." — [4]) Inde clamor ille tam saepe ab irato populo in christianos sublatus: *αἶρε τοὺς ἀθέους*; cfr. Euseb. hist. eccl. IV, 15 et Semischii librum de Iust. Mart. II, p. 100: „Anfänglich als man die Christen alle Theilnahme an dem öffentlichen Cultus ablehnen sah, ohne dass sie doch ein sichtbares Zeichen ihrer Gottesverehrung aufstellten, ohne dass sie eigene Tempel, eigene Altäre errichteten, wurde der Vorwurf des Atheismus und zwar hauptsächlich vom Volke in ganzer Schärfe erhoben und die Christen für Menschen angesehen, welche sich zu dem Göttlichen rein negativ verhielten." [5]) Cfr. Iustin. Martyr. apol. II, 6. Idem statuunt Tertullianus apol. c. 17. Clemens (protrept. 6. 68), Arnobius (adv. gent. 1, 32). Ceterum cfr. Hagenbachii hist. dogm. ed. V, p. 55.

rectam de deo notionem proposuerunt[1]), hoc tamen modo, ut nec deorum, nec philosophorum, quos impugnat, mentio fiat, sed ut plane tantum christianorum de deo confessio explicetur. Ac docet quidem, deum esse unum, nulla maris et feminae distinctione affectum, cupiditatibus non agitatum, sacrificiis oblationibusque non egentem, non opificem solum, sed creatorem mundi, omnes creaturas providentia sua gubernantem,[2]) unde et deorum ethnicorum fidem et omnes veterum philosophorum doctrinas omnino abiciendas esse haud dubie intellegitur. Etenim ex his quoque neminem de deo et mundo ea invenisse, quae hominis animo veri studioso satisfacere possint, mitto dicere, cum eos vel mundum atomorum concursu exortum, vel deum a mundo non secretum, vel opificem tantum materiae habuisse satis notum sit. Aristides autem, si divina providentia omnes creaturas regi contendit[3]) contra stoicos maxime disputavit atque eos, qui certae scholae non addicti vel omnino rerum philosophicarum neglegentes mundum fato gubernari persuasum habebant. Fidem enim se fato habere, non solum philosophi illi profitebantur, sed permulti etiam viri, qui aliis nominibus clarissimi facti sunt, velut Tacitus et Plinius, ut fatales illae opiniones in communi hominum illius aetatis conscientia et persuasione pervulgatae fuisse videantur.[4]) Id quoque a stoicorum aliorumque eclecticorum, qui vocantur, philosophorum doctrinis alienum est, quod cum Iustino[5]) aliisque apologetis dicit, mundum a deo hominum causa esse creatum, quoniam inde sequitur, hominem esse maiorem mundo, neque hominibus mundum vel eius partes viresque, quippe in quibus vis divina inprimis emineat, colere atque adorare licere. Qua in disputandi ratione, quamquam haud displicet, tamen desideramus argumentationem eorum, quae proponuntur; omnia enim ut per se certa et firmissima nullis argumentis allatis ab Aristide exposita sunt. Sed hic erat communis apologetarum illius aetatis mos, ut de his quidem rebus non ad argumenta ex ratione haurienda provocarent, sed suam doctrinam talibus adminiculis non egentem atque hominis sincero animo veritatem quaerentis conscientia satis probatam haberent,[6]) atque etiam eo neglegentiae procederent, ut consulto dicendi artem abicerent. Arnobius quidem, ut alios omittam, in haec verba eloqui non veretur: „Cum de causis agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur, spectandum est, non quali cum amoenitate dicatur, nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus utilitates, maxime cum sciamus, etiam quosdam sapientiae deditos non tantum abiecisse sermonis cultum, verum etiam, cum possent ornatius atque uberius eloqui, trivialem studio humilitatem secutos.[7]) Tum vero inter Aristidem et Iustinum aliosque apologetas ea est consensio, ut deum sine nomine esse dicat, quod quicunque appelletur, creatum factumque esse ab alio.[8]) Quae prorsus concinere cum his Iustini verbis: „Ὄνομα δὲ τῷ πάντων πατρὶ θετόν, ἀγεννήτῳ ὄντι, οὐκ

[1]) Cfr. ea, quae supra de argumento prioris fragmenti exposita sunt. [2]) Cfr. Aristid. serm. p. 6. 7. [2]) Praeter ceteros cfr. Semischium in l. de Iust. Mart. II, 333. [3]) Cfr. locum citatum; tum Hagenbachii hist. dogm p. 107. [4]) Cfr. Bernhardy, Gesch. der röm. Litterat. I. A. p. 271. Neandri hist. eccl. I, a. p. 19 G seq. [5]) Cfr. Iustin. ap. I, 10: καὶ πάντα ἀγαθὸν ὄντα δημιουργῆσαι αὐτὸν ἐξ ἀμόρφου ὕλης δι' ἀνθρώπους δεδιδάγμεθα; tum cfr. Hagenbachii hist. dogm. p. 107, ubi plures loci de hac re afferuntur. [6]) Cfr. Tzschirneri Gesch. d. Ap. et Semischium in l. de Iust. M. II, p. 187: „Verhältnissmässig und selten geschieht es, dass sie (die Apologeten) die Vernunftmässigkeit eines Dogma's erweisen und auch dann noch verwahren sie sich durch Klauseln" — et p. 188: „Bei seinem unmittelbaren Wahrheitsgefühle hält der Apoleget jeden eigentlich doctrinellen Wahrheitsbeweis für entbehrlich.' Cfr. praeterea Hagenbachii hist. dogm. p. 75. [7]) Cfr. Arnob. adv. gent. I, 59. [8]) Cfr. Aristid. serm. p. 7.

ἔστιν· ᾧ γὰρ ἂν ὀνόματι προσαγορεύηται, πρεσβύτερον ἔχει τὸν θέμενον τὸ ὄνομα"[1]) non est quod pluribus doceam, quamvis inde non colligam, Iustinum hanc sententiam ex Aristide hausisse, sed communem christianorum priorum saeculorum opinionem fuisse arbitror. Apud Eusebium[2]) enim scriptum invenimus, Marco Aurelio imperatore cum christiani in Gallia crudelissima persecutione vexarentur, Attalum martyrem in sella ardenti sedentem summosque cruciatus patientem de dei nomine interrogatum respondisse: „deum non habere nomen ut homines", quod si ita dictum esset, ut novum et insolitum audientibus videretur, in illa relatione Lugdunenis Viennensisque ecclesiae ad christianos in Asia silentio praetermitti non potuit.[3]) Denique a ratione apologetarum[4]) illius saeculi non abhorret, quod logicae disciplinae leges ab Aristide non satis servatas esse videmus, cum in initio tractatus ex naturae conspectu sibi conscium factum esse profiteatur, omnium creatorem et rectorem esse deum, nam iis omnibus, quae moveantur et regantur, fortiorem esse creatorem et rectorem; inde enim non de creatore, sed rectore tantum conclusionem fieri posse apparet. Quae logicae rationis neglegentia originem duxit ex apologetarum de ἀκαταληψίᾳ dei sententia, unde necesse esse intellegitur, deum ἀνόητον, ἄῤῥητον se ipsum revelare.[5]) Quare optime his verbis loco de deo finem fecit: „De deo sapienter loqui ab ipso deo mihi datum est, et pro meis viribus locutus sum, quin tamen altitudinem imperscrutabilis magnitudinis eius comprehendere possem. Sola fide vero illum glorificans adoro."[6]) Unum tantum est, quo scriptor noster a Iustini ratione recedit, disputationem inquam de dei qualitatibus. Nam cum Iustinus obiter tantum illas attingeret,[7]) Aristides satis copiose ac vocibus usus ex philosophorum doctrinis repetitis totam rem pertractavit. Nihilominus tamen ne hoc quidem tale esse videtur, ut ab apolegeta secundi saeculi abiudicari debeat.[8]) Gravioris vero momenti est, quod christologiae quandam partem, quae apud patres apostolicos exilissimis demum initiis germinare coepit atque etiam a Iustino omnino non perfecta proponebatur, Aristides tam distincte perspicueque expressit, ut nonnulla eius verba multo posterioris aetatis dicendi usum sapiant. Quae quidem in initio capitis de Christo disserit, eum esse dei altissimi filium et una cum spiritu sancto revelatum nobis, de coelis descendisse, ex Hebraea virgine natum, ex virgine carnem assumpsisse assumptaque humana natura semetipsum dei filium

[1]) Cfr. Iustin. apol. II, 6, praeterea Hagenb. hist. dogm. p. 77. [2]) Cfr. Euseb. hist. eccl. V, I. [3]) Praeclare Semischius ostendit, quo modo haec opinio de deo nomen non habente exstiterit in libro de Iust. M. II, 126. [4]) Cfr. Semischii verba in l. c. I, p. 203: „Es ist eine bekannte Eigenthümlichkeit der kirchlichen Schriftsteller in den ersten Jahrhunderten, welche nur wenige, wie unter den Griechen Athenagoras und unter den Lateinern Lactantius nicht theilen, dass das sprachliche, logische und rhetorische Moment in ihren Schriften mit Vernachlässigung behandelt ist." Similiter indicat Hagenbachius in hist. dogm. p. 75. [5]) „Die Unerforschlichkeit oder Unerkennbarkeit galt als vorliegend schon in dem nothwendigen Vor- oder Grundbegriffe von Gott als Unendlichem, sowie ausgesprochen in der heiligen Schrift ausdrücklichen Erklärungen und überall nur bildlichen Beziehungen. Andrerseits blieb doch auch allgemein anerkannt: die nicht gänzliche Unvorstellbarkeit, vielmehr eine annähernde oder — relative Erkenntniss, — Der Supranaturalismus, der Religionssinn wie das Interesse des Denkers — . . . setzte zwei Schranken (scil. des nur negativen Vorstellens von Gott) die Nothwendigkeit einer Selbstoffenbarung der Gottheit an wie durch den Menschengeist; und, die auch für so erleuchtete Vernunft bleibende blosse Annäherungsfähigkeit." Niedner, Dogmengeschichte p. 77. [6]) Cfr. Arist. serm. p. 9. [7]) Cfr. Semischii l. de Iust. mart. II, 258 [8]) „Doch trug man immer mehr die aus der Schule der Philosophen entlehnten metaphysischen Begriffe auch auf den Gott der Christen über" Hagenb. hist. dogm. 82.

revelasse [1]) — haec omnino non offendunt, nam jam primis post Christum temporibus haec christianae religioni addictis persuasum fuisse satis notum est. Mitto, quod in epistola illa ad Traianum Plinius minor dicit, christianos carmen Christo quasi deo dicere,[2]) mitto quod patres apostolici ad unum omnes non solum humanam Christi naturam [3]) agnoscunt, sed etiam fidem divinitati eius habitam ita profitentur, ut eum orbis terrarum dominum [4]) filium dei omni creatura antiquiorem [5]) et deum ipsum nominent [6]): Iustini scripta sola, talibus testimoniis plenissima,[7]) satis sunt documento, in verbis Aristidis, quae supra citavi, nihil esse, quod a fide illius aetatis sit alienum. Ceterum illo loco Aristidem non solum contra ebionitas, divinam naturam Christi reprobrantes, sed etiam contra docetas gnosticosque statuisse, quamquam nec nomina nec doctrinas eorum attigit, obiter monere sufficiat. Illud autem suspicionem movet, quod ita pergit: „Ipse est verbum, qui ex progenie Hebraica secundum carnem, ex Maria virgine [8]) deipara natus est.“ Nam cum patres apostolici et primi, quod sciamus, apologetae variis quidem nominibus attributisque dei filium afficerent, tamen ex virgine Maria deipara natum Christum non dicebant[9]) quod tum demum dici potuisse liquet, cum acerbissima de Christi naturis contentione diversae theologorum scholae, Alexandrina maxime et Antiochensis, inter se disputabant. Alexandrini enim prae ceteris spectabant unitatem et divinam naturam in Christi persona, Antiochenses differentiam et naturam humanam, ita ut illi *μίαν φύσιν τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένην* et Mariam *θεοτόκον*, hi autem *συνάφειαν καὶ ἐνοίκησιν* et Mariam *Χριστοτόκον* acciperent atque dicerent.[10]) Offendimur igitur maxime voce „deiparae“, quae hoc loco haud dubie ita dicta est, ut Nestorianis aliisque Mariae minorem honorem tribuentibus opponatur; namque apud Aristidem illud *θεοτόκος* attributum tantum esse exornans, quale iam ante Cyrilli et Nestorii aetatem ex poëtica ethnicorum dicendi ratione in christianorum sermonem invasisse scimus,[11]) nemo, qui totum verborum et rerum connexum pervestigaverit, sibi persuadebit. Itaque plures viri docti, qui priorem tractatum Aristidis esse genuinum opus concedunt, in hac voce offenderunt eamque ab interprete armeniaco additum esse putant. Himpelius quidem annalium theologicorum Tubingensium altero loco [12]) ita loquitur, ut in

[1]) Cfr. Arist. serm. p. 11. [2]) Plinii ep. X, 96. [3]) Cfr. Ignatii ad Smyrn. ep. c 1 8, ejusdem ep. ad Ephes. 7, 18, tum Hagenb. hist. dogm. p. 139, 6. [4]) Cfr. Barnabae ep. c. 5. [5]) Cfr. Hermae Past. 3, 9, 12. [6]) Cfr. Ignatii ep. ad Smyrn. c. 1: *δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν θεὸν . . . υἱὸν θεοῦ κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν θεοῦ.* [7]) Cfr. Semischii l. d. Iust. m. II, 278 sequ. [8]) Virginitas non offendit, cum iam Iustinus non solum eam probet, sed etiam demonstret, Iesum nisi ex virgine nasci non potuisse Apol. I, c. 38: — *καὶ διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπον γεγονέναι, ἵνα καὶ δι' ἧς ὁδοῦ ἡ ἀπὸ τοῦ ὄφεως παρακοὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβε, διὰ ταύτης τῆς ὁδοῦ καὶ κατάλυσιν λάβῃ.* [9]) De patrum apostolicorum christologia cfr. Semischium II, p. 274; de Iustini doctrina ibidem II, p. 278 sequ. tum Hagenbachii hist. dogm. p. 89 sequ. [10]) Cfr. Lutharti Dogm. Compend. ed. IV p. 150, 2 et Hagenb. hist. dogm. p. 225. „Während die in Alexandrien herrschende Lehrweise in starken Ausdrücken die Einheit des Göttlichen und Menschlichen in Christo heraushob, trennten die Antiochenischen Theologen . . . . schärfer zwischen beiden. Da gab endlich der bei der steigenden Verehrung der Maria üblich gewordene Ausdruck „Gottesmutter“ (*θεοτόκος*) Anlass zum förmlichen Ausbruch des Streites über das Verhältniss der Naturen in Christo. [11]) Cfr. Herzogii Encycl. real. IX, p. 81. s. v. Maria. Qui accuratius de hac re disputabant, Muenscherum et Coellnium inspicere mihi non licuit. Sed sufficit fortasse laudare Hagenb. hist dogm. p. 226. [12]) Annal. Tubing. theol. 1879 fasc. II p. 291: „Ohne den Untersuchungen über die Autorschaft der unter allen Umständen höchst werthvollen Ueberreste des christlichen Alterthums anzugreifen, erlaubt doch meines Erachtens der Inhalt, die hohe primitive Einfachheit des Glaubenskreises,

hoc certamine medium se gerat, altero in censura disputationis Helvetici, ut videtur, theologi L. Massebieau insertae annalibus, quibus est titulus „Revue de théologie et de philosophie [1]) illius sententiam de posteriore huius vocis origine ita affert, ut intellegi nequeat, utrum cum Massebieau per armeniacum interpretem vocem deiparae in contextum irrepsisse putet, necne.[2]) Doleo profecto valde, quod mihi, quamquam nec precibus nec laboribus peperci, non contigit, ut illud Helvetici theologi tractatum nanciscerer, quare ex censura tantum Himpeliana nonnulla cognovi, quae ita sunt, ut operis illius perlegendi haud mediocre studium mihi excitatum sit. Ex Buecheleri vero tractatu de Aristide, Iustino et apologetis in fasciculo altero Musei Rhenani anno 1880 publicato video, Gildemeisterum monuisse, non solum voces „virginis deiparae“, sed etiam „assumptae humanae natura“ post aetatem demum Nicaenam inveniri atque fieri potuisse, ut in Armenia vel in Syria genuino adiungerentur contextui. In eandem fere sententiam Harnackius se inclinare videtur, qui de his rebus in Schuereri actis theologicis (1879, p. 375) exposuit.[3]) Cum vero Buechelero referente Harnackius dicit, in tractatu priore Aristidis contextum antiquissimum distinguendum esse a rescriptione quinti saeculi,[4]) haud aliter statuere videtur, quam quos supra laudavi, Massebieau et Gildemeisterus. Quae cum ita sint, ab Aristidis opusculo illa vox deiparae procul dubio est abiudicanda, cetera tamen ut antiquissimae apologetarum aetati apta et accommodata agnoscere haud verebimur. Namque, id quod gravissimum est, desunt in eo omnes cautiones haereticis erroribus oppositae atque etiam, ut ego quidem arbitror, artiores et accuratiores de natura redemtionis et Spiritus sancti definitiones. De Christi enim officio nihil dicit, nisi haec: „Qui evangelio suo vivificante mundum universum consolatoria sua bonitate sibi captivum fecit. Ipse est, qui apostolos duodecim inter suos discipulos elegit, ut mundum dispensatione illuminantis veritatis suae institueret. Ipse ab Hebraeis crucifixus est: a mortuis resurrexit et ad coelos adscendit: in mundum universum discipulos suos mittens, qui divino et admirabili lumine suo, comitantibus prodigiis, omnes gentes sapientiam docerent.“ [5]) In his verbis non solum exultam ecclesiae doctrinam de munere sacerdotali atque de Christi opere salutari desideramus, sed etiam ea, quae apud Iustinum, quamvis manca christologia eius alio nomine[6]) sit, satis expressa et confirmata videmus. Desunt praeterea

die gesunde schlichte Logik, in der er argumentirt, die seltene Innigkeit der gläubigen Überzeugung, abgesehen von einzelnen Stellen, die sehr frühe Abfassung zu verrathen scheinen, nicht, der Ansicht des gelehrten Herausgebers von der Ächtheit beider Stücke ohne ganz trittige Gründe entgegenzutreten. [1]) Revue de théologie et de philosophie Lausanne 1880 p. 218—233. [2]) Ann. Tub. theol. 1880 fasc. I, p. 126: „In den Prädikaten des Heilandes, die wohl einem Glaubenssymbole entnommen sind, wie sich das Bekenntniss solcher schon für die erste Hälfte des zweiten Jahrhunderts als Bedingung der Zulassung zur Taufe von selbst verstand, begegnet nichts, was jener frühen Zeit unangemessen wäre. Nur der Ausdruck: „Mutter Gottes“ wird dem armenischen Übersetzer zuzuschreiben sein. His verbis Himpelius non suam, sed Helvetici theologi sententiam, cuius disputationem laudat, proponere videtur. [3]) Ne haec quidem nancisci potui. [4]) Mus. Rhen. fasc. II, p. 281: „Vorläufig will Harnack in den Ausführungen über Gott kleine tiefer liegende Züge erkennen, welche die Voraussetzung eines sehr hohen Alters begünstigen, während alle durch den Gegensatz zur Häresie und durch das Schriftstudium später veranlasste Cautelen fehlen; in den christologischen Vorstellungen lasse sich wohl noch eine sehr alte Vorlage und eine Überarbeitung des 5ten Jahrhunderts unterscheiden.“ [5]) Cfr. Aristid. serm. p. 11, [6]) Cfr. Semischii l. d. Iust. m. II, 421: „Nur erst ihre allgemeinsten Grundlinien (scil. der Versöhnung) zeichnet er.“

apud Aristidem loci de Christi descensu ad inferos et adventu secundo ad iudicandum, quorum alterum Iustinus attigit,[1]) alterum chiliasticis commentis uberrime exornavit.[2]) Denique cum de Spiritu sancto nihil aliud profiteatur, quam dei filium una cum Spiritu sancto hominibus esse revelatum[3]), mirari non licet, quod etiam trinitatis ne voce quidem ab eo mentio facta est. Hae vero definitiones, quia tales erant, ut temporibus post Aristidis aetatem maxime urgerentur maximeque theologorum excitarent contentionem, in tractatu nostro, si post secundum saeculum esset conscriptus, prorsus silentio praetermitti non potuerunt. — Restat tantum, ut de genere humano, quae Aristidi videbantur, afferamus. „Nunc igitur, inquit, ad genus humanum veniamus et quinam praefatas veritates secuti fuerint, videbimus, et quinam ab iis aberraverint. Compertum est nobis, o rex, quattuor esse humani generis stirpes, quae sunt barbarorum, Graecorum, Hebraeorum atque christianorum. Ethnici et barbari genus suum ducunt a Belo, Krono et Rhea[4]) aliisque suis divis pluribus. Graeci vero a Iove, qui Zeus vel Iuppiter dicitur, originem trahunt, per Helenum, Xuthum aliosque eorum descendentes . . . . Hebraei autem genus suum ducunt ex Abrahamo, Isacco, Iacobo et duodecim Iacobi filiis, qui e Syria in Aegyptum se receperunt et a legislatore suo Hebraei nuncupati fuerunt, inde vero terram promissionis ingressi Iudaei sunt appellati. Christianorum tandem genus a domino Iesu Christo oritur."[5]) Quae hominum descriptio Buechelero tantum movebat scrupulum, ut totum locum spurium atque ab aetate Hadriani imperatoris alienum esse contenderet.[6]) quod omnes apologetae nullam originis differentiam statuerent nisi Graecorum et barbarorum, quorum pars Iudaei haberentur. Provocat tum ad Minucium, qui gentes et populos coram deo non esse distinguendos dicit et ad Tertullianum aegre ferentem, quod christiani tertium post Graecos et barbaros genus vocarentur.[7]) Sed hunc eundum Tertulliani locum, ut ex Himpelii disputatione[8]) intellego, Massebieau citavit, ut talem hominum descriptionem ab Aristide factum esse demonstraret; quapropter eum prorsus omittimus, praesertim cum difficultates loci Aristidei alia interpretandi ratione facile expediantur. Primum quidem perspicuum esse arbitror, hoc loco non de differentia nationum et populorum agi, sed de differentia religionum earumque assectarum, quod cum totus contextus doceat, tum initium loci: „Nunc ad genus humanum veniam et quinam praefatas veritates secuti fuerint videbimus et quinam aberraverint." Unum igitur est genus humanum, sed variae sunt religiones variique earum auctores, apud gentes inprimis orientales Belus, Kronos et Rhea,[9]) apud Graecos et Romanos Iuppiter, apud Hebraeos Abrahamus, apud christianos Christus. Quae hominum desrriptio tantum abest, ut

[1]) Cfr. Semischii l. c. II, p. 113. Auf den Hadesgang Christi legt zwar Iustin, wie es scheint, selbst wenig Gewicht, weil er ihn selbst nur sehr kurz erwähnt." [2]) Cfr. Semischii l. c. II, p. 166 178. [3]) Cfr. Aristid. serm. p. 11: Ipse dei altissimi est filius et una cum Spiritu sancto revelatus est nobis. [4]) Apud mechitaristam legimus: „a Belo, Chrono et Hiera"; sed procul dubio recte emendaverunt Gildemeisterus et Himpelius. Cfr. Mus. Rhen. fasc. II, p. 281. Tum annal. theol. Tubing. 1879, II. p. 289. [5]) Cfr. Aristid. serm. p. 9—11. [6]) Cfr. Mus. Rhen. 1880, II. p. 281: „Man lese nur irgend einen der nachfolgenden Apologeten, wie Iustin oder Tatian, welche keinen anderen Stammesunterschied kennen als Hellenen und Barbaren, die Iuden zu den Barbaren rechnen, mehr und bessere Christen aus den ἐθνικοί als von Iuden und Samaritern kommen lassen." [7]) Cfr. l. c. p. 281; Tertulliani ad nat. I, 8. [8]) Cfr. annal. theol. Tubing. 1880, I. p. 127. [9]) Hoc loco non de Graecis numinibus cogitandum esse, sed de diis orientalibus, qui veterum more Graecis nominibus appellabantur, apparet.

offendat, ut maxime nobis placeat, quippe quae etiam ex Pauli apostoli epistolis elici possit. Paulus enim in priore ad Corinthios[1]) epistula homines in duos ordines distinguit, in eos, qui sub lege sunt, et in exleges, quam eandem divisionem in altero capite epistulae ad Romanos in versu XII. adhibet, ubi dicit: „ὅσοι γὰρ ἀνόμως ἥμαρτον, ἀνόμως καὶ ἀπολοῦνται· καὶ ὅσοι ἐν νόμῳ ἥμαρτον, διὰ νόμου κριθήσονται." Tota igitur veterum gentium copia apostolo divinam providentiam respicienti in partes duos, numero diversas, divisa esse videbatur, alteram Iudaeorum, alteram ethnicorum, quos, quae erat eorum humanitas, alio loco[2]) in Graecos et barbaros disposuit. Novum vero hominum genus cum a Christo quasi ab altero Adamo ortum esset, una cum illis, quos supra recensui, tribus ordinibus, quattuor hominum genera, quod ad religionem non ad originem eorum pertinet, apostolum statuisse intellegitur: barbarorum, Graecorum, Iudaeorum, christianorum.[3]) Quam discriptionem Aristides probavit atque ut suam in tractatu proposuit, ita tamen, ut simul religionum auctores, qui quidem ipsi esse videbantur, laudaret, neque vero satis accurate et recte, cum et barbororum septentrionalium religionem amitteret et Hebraeos genus duxisse diceret ex Abrahamo, Isacco, Iacobo et duodecim filiis Iacobi, qui e Syria in Aegyptum se recepissent et a legislatore suo Hebraei nominati, tum terram promissionis ingressi Iudaei essent appellati. Sed haec est commutatio quaedam et commixtio duarum personarum, qua Abrahamum quidem stirpis auctorem nominavit, nomen autem Hebraeorum duxit a legislatore, cum in Genesis capite XIV, v. 13 Abrahamus עִבְרִי quod repetendum esse ab עֵבֶר i. e. „regio transeuphratensis" (LXX ὁ περάτης) satis notum est, ita ut עִבְרִי proprie sit advena[4]) ex terra trans Euphratem sita. Itaque memoriae quodam lapsu quod Abrahami erat ad Mosem transtulit atque eum non solum legislatorem, verum etiam nominis Hebraeorum auctorem laudabat. Sed restat etiam, quo offendamur in illius scriptoris nostri de Abrahamo eiusque progenie verbis: putare enim videtur, iam inde ab ingressu in terram promissionis Abrahami stirpem Iudaeos esse appellatos; quod tantum abest a vero, ut inde ab illo demum tempore, quo gens Israelitarum in dua regna seiuncta erat, Iudaeorum i. e. tribulium Iudae[5]) nomen maiorem in dies honorem atque vim accepisse sciamus. Tota vero gens illo nomine comprehendi coepit, quum post exsilium Hierosolymis nova Israelitarum respublica et veteribus et novis legibus institutisque stabilita a viris condebatur, qui maximam partem sodales erant tribuum[6]) Iudae, Benjamin et Levi, ita ut respublica restaurata cum illo vetere Iudaeorum Hierosolymitano regno a rege Babylonico everso quodammodo connexa et apta esse videretur.

Ita per omnes locos toto Aristidis tractatu perlustrato obiter tantum monere sufficit, in textu armeniaco non cohaerentia cum antecedentibus haec verba exhiberi: „Divinitati spiritualis natura propria est, angelis ignea, daemoniis aquosa, generique humano terrestris", quae ita sunt comparata, ut ea ex apologia Aristidis repetita esse nemo facile argumentis sit probaturus; quapropter de iis

[1]) I. ad Corinth. IX, 20. 21. [2]) Ad Roman. I, 14: "Ἕλλησί τε καὶ βαρβάροις, σοφοῖς τε καὶ ἀνοήτοις ὀφειλέτης εἰμί. [3]) Ab aliis Iudaeos barbaris adiungi velut ab Eusebio (hist. eccl. IV, 26) verbo monere satis est. [4]) Quod nostra aetate multi aliam etymologiam huius nominis probant, ad nostram rem nullius est momenti. De etymologia a voce „Heber" ducta cfr. Steinerum in Schenkelii Lexico biblico I, p 613. [5]) Cfr. Reussii disp in Schenkelii lex bibl. III, p. 440. [6]) Cfr. Steineri disp. in Schenkelii lex. bibl. III, p. 417.

disserere supersedeo. Proximum vero est, ut de altero fragmento iam in contextu armeniaco non Aristidi sed A r i s t a e o philosopho Atheniensi attributo quae mihi videntur proponam. Ac Buechelerus quidem in Museo Rhenano[1]) contendit, procul dubio esse homiliam de vocibus a Christo crucifixo et a latrone, qui idem supplicium subibat, editis, quae ab Aristide nostro prorsus esset abiudicanda. In eandem fere sententiam Himpelius se inclinavit, quamquam primum quidem cautius de hac re egit, cum fieri potuisse putaret, ut librarius posterioris aetatis propter similem dicendi rationem huic loco Aristidis nomen adiungeret.[2]) Sed paullo post omnem dubitationem de subditicia huius fragmenti natura abiecisse videtur, siquidem ea recte intellego, quae in fasciculo primo annalium theologicorum Tubingensium a. 1880 p. 116 et 122 exposuit. Concedit enim, fragmentum illud alterum apologiae Aristideae partem non fuisse, quamquam id ipsum, quod contendere videtur, eodem loco paullo infra ita restringit, ut ad certam quandam sententiam non perveniamus[3]) Denique Massebieau, ut ex Himpelii relatione de huius theologi opusculo video, alterum fragmentum ab Aristide non esse conscriptum putat, sed post concilium Nicaenum, attamen quibus rationibus haec sententia confirmanda sit, exponere prorsus supersedit.[4]) Fragmentum vero in contextu originali armeniaco codicis saeculi XII[5]) inscriptum est: „Aristaei philosophi Atheniensis de latronis clamore et crucifixi responsione“, quod mechitarista mutavit in „Aristidis“, atque quattuor fere paginis exhibet contionem sacram de loco Lucae XXIII., 42. 43. Totius orationis propositum est, ut doceat scriptor, errorem eorum esse expellendum, qui putant, Christum nihil nisi insignem hominem fuisse, quod latronis maxime exemplo Christo plane se committentis atque summam fidem ei habentis evincitur. Latro enim, ut est illo loco, „crucifixum vere deum esse cognovit atque ita suae fidei clamitatione in paradisum abreptus est, non autem ipse (scil. paradisum) ex domino paradisi abripuit. „Apage — ita pergit scriptor — nunc, tu qui crucifixum hominem inanem, divisum et corruptibilem existimas; nam si merus homo, mortali natura, alteri, mortali natura, nequaquam

[1]) Mus. Rhen. 1880 fasc. II. p. 281: „Den zweiten Traktat, eine Predigt über die Worte Christi und des Schächers am Kreuz, die handschriftlich einem Aristides zugewiesen ist und handgreiflich unseren Aristides nichts angeht, lassen wir ganz bei Seite.“ [2]) „Die Abfassung des zweiten Stückes durch den Apologeten Aristides mag eher mehrfachen Bedenken unterliegen, die schon an den nicht richtig wiedergegebenen Autornamen der Ueberschrift anknüpfen können, obgleich demselben „Philosoph aus Athen“ beigesetzt ist. Ein späterer Abschreiber könnte aus der uralten Stil- und Darstellungsweise auf den Namendes Apologeten gerathen, könnte aber denselben ebenso gut schon unrichtig geschrieben vorgefunden haben“ l. c. 1879, fasc. II. p. 292. [3]) „Immerhin ist nicht mit dem Herausgeber anzunehmen, dass die Abhandlung (scil. das 2te Fragment), welche sich als ein abgerundetes Ganzes ergiebt, zur Apologie des Aristides gehört habe“. — „Schluss und Anfang der Abhandlung beweisen, dass hier eine selbständige und vollständige Arbeit, nicht das Bruchstück eines grösseren Ganzen weder der Apologie des Aristides, noch einer anderen Schrift. Möge das Räthsel der Überschrift sich lösen oder nicht, so athmet das Überbleibsel einen sehr alterthümlichen Geist und scheint durch hohe Schlichtheit und Einfachheit des Stiles neben kräftigen Gedanken und sicherer Entwickelung des Thema's, sowie durch seine unerschütterliche Glaubenskraft ohne Erregtheit und Streitlust, wenn auch nicht in die Zeit des Aristides hinauf, so doch auch nicht allzuviele Menschenalter über denselben herabzuführen. — Indessen ist natürlich hierin nicht vorzugreifen. Annal. theol. Tubing. 1880 p. 116 und 122. — [4]) „Massebieau nimmt an, dass das zweite Fragment nach dem Concil von Nicaea geschrieben sei, ohne sich hierüber weiter auszulassen“ l. c 1880 fasc. I. p. 123. [5]) Cfr. Aristid. serm. praefat. ad finem

immortalitatem tribuere potest, quomodo credibile aut probabile esset, eum, qui insuper, constitutione sua, natura corrupta et corruptibili natus et creatus est, alteri pariter corrupta et corruptibili natura, incorruptibilitatem elargiri posse? Et quis inter homines est, qui paradisum aperire posset, quem deus ipsi protoplasto secluserat, Cherubino imperans, ut ingressum flammeo ense custodiret?“[1]) Quem argumentandi modum nihil valere potuisse ad eos, qui a christiana doctrina omnino abhorrebant, procul dubio apparet; etenim et fides quaedam, quamquam non recta, Christo habita, et dignitas maxima novi testamenti libris tributa quasi praesumendo statuitur. Itaque haec homilia maxime iis est opposita, qui ebionitarum errores secuti in falsas de Christi persona sententias erant inducti, ita tamen ut ab Arii doctrinis longe etiam essent remoti. Nam si scriptor noster contra Arianos disputavisset, non de Christo falso inani homine habito esset locutus, cum Ariani hoc non profiterentur, sed terminorum ὁμοιούσιος et ὁμοούσιος haud dubie mentionem fecisset. Itaque Massebieau non rectum vidisse arbitror: si hoc opusculum temporibus post concilium Nicaenum assignat. Sed ego, si meam de hac re sententiam expromere licet, vix pro certo dici posse arbitror, quando compositum sit: id tantum coniciendum est, ante medium tertium saeculum[2]) ab incerto auctore esse profectum. Ceterum utcumque res se habet, contio illa de verbis Christi et latronis ut gravissimum opus summae antiquitatis atque bonae frugis ad christianorum veterum animum cognoscendum permagno semper pretio procul dubio habebitur.

Iam vero respicienti mihi ea, quae exposui, mechitaristarum congregationi multis nominibus gratiam esse habendam arbitror, quod haec opuscula ex bibliothecae tenebris prolata ad communem usum ediderunt. Namque prior tractatus, quamquam non integer, tamen paucis verbis exceptis primorum apologetarum aetate ortus et ab Aristide compositus esse videtur, cuius ratio scribendi eam exhibet naturam, ut quod ad doctrinas attinet, cum Iustino ceterisque secundi saeculi apologetis consentiat, a modo autem argumentandi eorum apologetarum, qui cum acrimonia quadam et invidia contra ethnicos disputabant, longe recedat, cum nullo lacessito aut conviciis impugnato simpliciter atque enucleate, quae christianorum fides sit, exposuerit. Itaque Iustinus, qui non solum acriter ethnicorum, Iudaeorum, haereticorum erroribus se opponit, verum etiam certis adversariorum personis acerbissime conviciari non dedignatur,[3]) Aristidem imitatus esse non potest, nisi de argumento: siquidem imitatio dicenda est, quae omnium apologetarum communia habenda sunt. Inter omnes autem, qui sub medium saeculum secundum floruerunt, apologetas scribendi et disserendi ratione Aristidem maxime aequare videtur Melito Sardensis,[4]) neque tamen eum aut ex Aristidis libro hausisse, aut eum ut exemplar secutum esse conici liceat. Alterum autem tractatum de verbis Christi crucifixi, etiamsi eum non cum mechitarista Aristidi attribuamus, propter simplicitatem candoremque fidei atque disputandi modum venerabilem antiquitatem exhibentem, dignum habebimus, qui doctorum hominum studium excitet, ita ut a nimia huius inventi admiratione remoti tamen non dicamus: Ἄνθρακες ὁ θησαυρός!

[1]) Cfr. Aristid. serm. p. 19. [2]) „Von den natürlichen Häresieen der vorigen Periode (scl. — 224 p. Chr.) kann die ebionitisch-judaisirende als gänzlich überwunden betrachtet werden“ Hagenb. hist. Dogm. p. 196. [3]) Cfr. Semischii l. de Iustino martyre I. p. 45. [4]) Cfr. Pressensé hist. trium prior. saecul. in linguam Germ. convers. a Fabario IV, 107 et fragmentum ibi citatum, quod a Curetone in Museo Britannico inventum est.